

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0690

0688

0694

0684

0699

0679

0739

0639


0789

0589

0189

Ende

Anfang



117

**Tractatus quintus continens acta peregrinorum  
per mensem Augustum,**

cum descriptione locorum diversorum terrae S., ad  
quam diverterunt, et plura continentur ibi utilia.

**(225 A)** Augustus mensis sua prima die duplicem nobis attulit solemnitatem. Prima est de Petro, principe Apostolorum, quomodo fuit a vinculis absolutus. Secunda est de Machometo, principe daemoniorum, quomodo suis vinculis totus paene mundus est involutus. Prima est nobis nota, secunda nobis incognita, Sarracenis vero solemnissima. Ea quippe die celebrant festum dationis legis Machometi, quia in ea tradita et manifestata fuit lex pravissima Machometi et Alcoranus, errorum pelagus, in publicum productus, quo paene totus mundus est submersus. Haec execrabilis et profana lex colorata utriusque Testamenti auctoritatibus est, et quibusdam veris falsa et omnino absurda habet annexa atque venenum, ut moris est omnibus haereticis, sub melle continet occultatum.

Erat enim prima dies Augusti, sexta feria, quae per totum annum est Sarracenis celebris, non quidem quia feria sexta, sed quia dies Veneris. Machometus enim Venerem impudicam semper venerabatur, idcirco ejus diem statuit perpetuo celebrem observari, quemadmodum diem dominicam festivamus, et sabbathum Judaei, longe tamen alia et alia ratione. Idcirco hoc die ausi non fuimus in publicum procedere, sed in locis nostris in occulto consistere, sicut Judaei in die paraseves a nobis secluduntur nec per vicos ire permittuntur. Propter hoc maledictum Machometi festum non potuimus rite peragere festum S. Petri ad vincula; nam peregrini socii mei non adebant de hospitio in montem Syon adscendere pro audientia Missae, sed sine Missa diem illam transigere et ita nolentes coacti fuimus in quiete manere. Hoc enim tenent pagani, quod quando ipsi celebrant vel